

Spiritus sanctus est unctio et sigillum impressivum imaginis in se habitae: in quo spiritu vere tamquam in suo sigillo, idest imagine suae naturae, consignat et caracterizat imprimendo ipsam suam imaginem Deus verbum Ecclesiae sponsae suae: „ et infra: „ Christus in suo proprio spiritu ungit et superungit, et eo tamquam suo sigillo continente ipsius essentiam se imprimit Ecclesiae suae sponsae. „ Et Chrysostomus dicit super epistola ad Romanos: „ Si spiritus est character et sigillum Christi: qui non habet sigillum et characterem Christi, hic non est ipsius Christi. „ Constat autem quod character et sigillum derivantur ab eo cuius sunt. Unde per auctoritates Doctorum dictorum aperte ostenditur, quod Spiritus sanctus a Filio derivatur. Horum autem Doctorum auctoritates etiam ex auctoritate sacrae scripturae confirmantur. Dicitur enim 2 Corinth. 1, 21: „ Unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris: „ quod quidem de Patre et Filio intelligi oportet; cum uterque Spiritum sanctum det, ut ostensum est: et ad Ephes. 1, 13: „ In quo, „ scilicet Christo, credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae. „

*Item quod Spiritus sanctus est a Patre per Filium.*

Traditur etiam a praedictis Graecorum Doctoribus, quod Spiritus sanctus est a Patre per Filium. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: „ Deus Pater per manum suam propriam, idest suam sapientiam et potentiam, cuncta produxit in esse in uno suo vero et vivifico atque deifico coessentiali sibi spiritu, quem de se essentialiter per eundem Filium naturaliter coaeternum spiravit; „ et Basilius dicit: „ Non est Filius Filii Spiritus, quia est ex Deo, scilicet Patre per Filium. „ Idem dicit contra Eunomium: „ Si ex verbo tuo, o qui inimicaris veritati, ex proprio intellectu tuo spiritum producit, aerem per verbum verberans; unde ejusdem essentiae Spiritum sanctum a Patre per verbum unigenitum dubitas provenire? „ et infra: „ Ex Patre se ipsum Filius nominat verbum, et ex Patre per se verbum Spiritum nobis indubitanter affirmavit. „ Ex hoc autem ostenditur de necessitate quod Spiritus sanctus sit a Filio. Dictum est enim supra, quod cum dicitur aliquis per aliquid operari, oportet quod sit principium operandi ipsi operanti, vel saltem sit principium operationis ex parte ejus ad quod terminatur operatio. Filius autem non potest esse principium operandi Patri. Unde si Pater per Filium Spiritum sanctum spirat, de necessitate sequitur quod Filius sit principium Spiritus sancti. Idem autem habetur ex eo quod Gregorius

Nyssenus dicit: „ Spiritum sanctum ex Patre esse mediante Filio tenemus. „ Sic enim dicitur Spiritus sanctus esse a Patre, mediante Filio, sicut et a Patre per Filium, in quantum Pater est principium Filii, et Filius principium Spiritus sancti.

*Quod Spiritus sanctus sit a Filio.*

Sed jam accedere oportet ad ponendum auctoritates Doctorum Graecorum, ex quibus habetur expresse quod Spiritus sanctus sit a Filio. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: „ Christus de suo spiritu dixit: „ Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur; „ idest, non est ut sit imprincipiatus spiritus, quod est solius Patris; sed maxime et proprie est ab ipso Filio, a quo et accipit ut sit Deus essentialiter, ab eo etiam audit quae et loquitur. „ Et Basilius dicit contra Arium et Sabellium: „ Quomodo adoptat in Filio Spiritus sanctus, si alienus est a Patre et Filio? Quomodo inhabitat extraneus in illis quos Christus redimit, si non est a Christo? „

*Quod simul est a Patre et Filio.*

Ne autem aliquis dicat aliter esse Spiritum sanctum a Patre et aliter a Filio; simul ab utroque a praedictis Doctoribus esse asseritur. Dicit enim Epiphanius in libro de Trinitate: „ Deus ex Deo Patre et Filio est Spiritus sanctus. „

*Quod est ab utroque ab aeterno.*

Si vero dicat aliquis, quod Spiritus sanctus esse a Patre et Filio dicitur, tamquam ab eis temporaliter datus et missus, et non ab aeterno ab eis existens; per sequentia ostenditur esse falsum. Dicit enim idem Epiphanius in libro de vestibibus pellicinis Adae et Evae: „ Sicut dicit Christus, Spiritus veritatis qui a Patre procedit; „ ita et „ de meo accipiet. Ecce ex ambobus duorum semper spiritus existit. „ Idem dicit in sermone de incarnatione verbi: „ Pater siquidem erat semper, et Filius erat semper, et Spiritus sanctus a Patre et Filio erat semper. Est ergo aeternaliter ab utroque. „

*Quod Spiritus sanctus sit persona de personis.*

Item ex auctoritatibus praedictorum Doctorum habetur quod Spiritus sanctus sit persona de personis Patris et Filii. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii: "Damnat mater Ecclesia hic congregata adinventores haereseos, „ scilicet Ariatorum, „ et Spiritum sanctum increatum, Deum verum, hypostasim de Patris et Filii hypostasibus, eisdem coessentialem confitetur; „ et Epiphanius dicit in libro Anchorali: "Spiritus sanctus in se est hypostasis vera; non alia a Patre et Filio essentia, nec aliena, sed ejusdem essentiae veraciter existens, hypostasis vero per se ex hypostasibus Patris et Filii. „ Non ergo solum est a Patre et Filio secundum donum gratiae, in quo datur vel mittitur; sed ratione suae personae. Est ergo a Patre et Filio ab aeterno.

*Item quod sit ex essentia Patris et Filii.*

Item ex auctoritatibus praedictorum habetur quod sit ex essentia Patris et Filii. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni concilii: "In Spiritu sancto omnium peccatorum et omnis blasphemiae fit remissio, qui, ut dictum est, de essentia Patris et Filii, eorum habet virtutem, cuncta per omnia cum eisdem et disponens et creans. „ Item in epistola ad Serapionem dicit: Christus de sua et Patris communi essentia sempiternaliter existentem Spiritum sanctum spiravit: „ et infra: "Christus in suo proprio Spiritu sancto, de sua, ut supra dictum est, usia existente, omnia nobis condonat. „ Et in eadem epistola: "Ab una et eadem Deitate Patris et Filii et Filio existens Spiritus sanctus, unus est<sup>1</sup> Filius. „

*Item quod sit naturaliter a Filio.*

Item habetur quod sit naturaliter a Filio. Dicit enim Cyrillus: "Quis est vita? Ille equidem qui dixit Christus, Ego sum via, veritas, et vita: tamquam in ipso veraciter, et de ipso naturalis Spiritus ejus existens spirituales legem ponit. „ Ex quibus omnibus habetur quod Spiritus sanctus non tantum est a Filio sicut temporaliter datus vel missus; sed sicut ab aeterno ab eo procedens, utpote essentiam et naturam ab ipso accipiens. Hoc etiam haberi potest ex ipso modo loquendi:

<sup>1</sup> An delenda vox Filius?

quia praedicti Doctores non solum dicunt quod Spiritus sanctus est a Filio; quod posset referri ad temporalem missionem; sed etiam quod a Filio existit: quod non potest referri nisi ad aeternam processionem: existit enim unumquodque secundum quod in se est. Dicit enim Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha: "Spiritus sanctus a Patre procedit, et ex Deitate patris et filii existit. „ Basilius etiam dicit contra Eunomium: Spiritus sanctus a Filio habet existere, et ab ipso accipere, et annuntiare nobis. „

*Item quod Filius spirat Spiritum sanctum.*

Ulterius autem habetur ex auctoritatibus praedictorum expresse quod Filius spirat Spiritum sanctum. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: "Filius de Patre genitus, de sua immensa essentia non extra se, sed intra se, immensum Deum spirat Spiritum sanctum. „ Item Cyrillus dicit in exhortatorio sermone ad Theodosium Imperatorem: "Salvator de se ipso producit Spiritum, et spirat, sicut ipse Pater. „

*Quod hoc quod spirat, ex sua proprietate habet Filius.*

Ne autem aliquis dicat, quod Filius non proprie spirat Spiritum sanctum, nominatur a praedictis Doctoribus Filius Spiritus sancti spirator, tamquam sit ex sua proprietate habens quod Spiritum sanctum spiret. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: "Haeretici ipsum Filium spiratorem veri spiritus Paraclyti blasphemant et negant: „ et in eadem epistola: "Qui blasphematur in Spiritum spiratum, blasphematur equidem in spiratorem ejus, idest in ipsum Filium, et per Filium blasphematur in genitorem ejus. „ Item Basilius dicit contra Eunomium: "Filius Spiritus sancti spiratorem et datorem sine aliquo dubio credimus. „

*Quod eadem ratione spiratur a Patre et Filio.*

Ut autem ostendatur quod simul et eadem spiratione Spiritus sanctus a Patre spiratur, et a Filio; dicit Athanasius in praedicta epistola ad Serapionem, quod Filius est conspirans Patri sic inquit: "Deus Pater per Deum Verbum non tamquam per organum, quod absit, sed per coessentialem suae essentiae vere viventi conspirantem vivum et deificum spiramen spirat Deum plenum et beatum Spiritum sanctum.

*Quod est aeternaliter a Filio spiratus.*

Ne quis autem dicat quod spiratio ad processionem pertinet temporalem, exprimunt praedicti Doctores, quod Spiritus sanctus sit aeternaliter a Filio spiratus. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii, ex persona Filii loquens: "Ut credat mundus a me essentialiter Spiritum paraclytum, et aeternaliter spiratum." Item Cyrillus in libro Thesaurorum: "Spiritum sanctum a Christo aeternaliter et essentialiter credimus et confitemur spiratum existere Deum.

*Quod de essentia Filii spiratur Spiritus sanctus.*

Ad hoc etiam facit quod in eisdem auctoritatibus continetur, quod de essentia Filii spiratur Spiritus sanctus. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii: "De essentia ipsius verbi adoramus spiramen spiritum coaeternaliter spiratum Deum:" et in eodem: "Deus ex sua essentia spiravit Spiritum sanctum:" et in epistola ad Serapionem: "Haeretici a filio sunt exhaeredati, quia ab ejus essentia essentialiter Deum spiratum non recipiunt Spiritum sanctum:" et in eadem quasi exponens quod dicit "ex sua essentia," idest "ex se essentia," sic dicit: "Filius natus a Patre in se Patris naturam tenens, equidem nomen non paternitatis, sed communicabilitatis cum ordine naturae servavit, ut ex se sua essentia non filium generative, sed spiritum sibi per omnia aequalem Deum et coaeternum spiraret:" et hoc quidem multoties ex verbis ejus habetur. Ex quo patet quod cum dicitur Spiritus sanctus spiratus esse a Filio, non potest referri ad processionem temporalem tantum, sed ad aeternam, secundum quam Spiritus sanctus a Filio essentiam divinam accepit.

*Quod Spiritus sanctus emanat a Filio.*

Habetur etiam ex auctoritatibus eorundem Doctorum processio Spiritus sancti a Filio sub verbo emanationis. Dicit enim Athanasius in praedicta epistola ad Serapionem: "A verbo vivente spiritus vivus emanans, et a forti virtus indeficiens desuper effunditur Ecclesiae. Item Theodoritus super epistola ad Ephesios: "Spiritus sanctus de sursum emanat a Christo, et sine invidia datur omnibus accipientibus."

*Quod Spiritus sanctus profluit a Filio, et quod ab aeterno.*

Utuntur autem praedicti Doctores ad processionem Spiritus sancti a Filio ostendendam, verbo profluxus. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii, ex persona Christi loquens: "Mitte Apostolos in mundum non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti ex mea usia profluentis:" et in eodem sermone: "Si non ita credendum est de Spiritu sancto et praedicandum, quod sit veritas Patris et Filii coessentialis utrique, de essentia eorum profluens; quomodo in divo symbolo salutiferi baptismatis Salvator Deus filius sibi et patri cooperanti salutem nostram connumeraret?" et in epistola ad Serapionem dicit: "Spiritus sanctus coessentialis Patri Filium, cujus ipse erat spiritus, et eidem coessentialis, ipse tamquam de essentia ejus profluens Deus, per Patres Nicaenos credi et praedicari fecit." Et Cyrillus dicit in libro Thesaurorum: "Quando Spiritus sanctus in nobis effunditur, configuratos demonstrat nos Deo: profluit enim a Patre et Filio." Ex quo etiam habetur quod Spiritus sanctus ab aeterno est a Filio tamquam ab ipso essentiam habens.

*Item quod Filius deoriginat Spiritum sanctum.*

Ex auctoritatibus eorundem etiam habetur quod filius deoriginat Spiritum sanctum. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii, quod "ipse Filius ex se naturaliter et coessentialiter ut est Deus, deoriginat spirando spiritum:" et in epistola ad Serapionem dicit, quod "Filius in spiritu a se deoriginato naturaliter operatur tamquam in sua propria virtute." Quod non videtur convenienter ad temporalem processionem posse trahi: nam ab illo deoriginatur aliquis a quo habet suum esse; deoriginare enim est originem alicui dare.

*Quod Filius est auctor Spiritus sancti.*

Habetur etiam a praedictis Doctoribus quod Filius sit auctor Spiritus sancti. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: "Apostolus quae in eo operatur spiritus et efficit, filio auctori ejus attribuit; sicut et filius quae ipse facit opera suo auctori Deo patri attribuit." Auctoritas autem in divinis personis unius ad alteram non est nisi secundum quod aeternaliter una est ab alia. Est ergo Spiritus sanctus aeternaliter a Filio.

*Item quod Filius est principium Spiritus sancti.*

Habetur etiam in praedictis auctoritatibus quod Filius sit principium Spiritus sancti. Dicit enim Gregorius Nazianzenus in sermone Concilii Constantinopolitani: "Necessarium est credere sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium vero principium a Patre principio, Spiritum autem sanctum cum principio Filio unum Deum esse per omnia et super omnia." Pater autem per hoc est principium filii quod filius est ab eo aeternaliter. Spiritus ergo sanctus aeternaliter est a Filio.

*Item quod Filius sit fons Spiritus sancti.*

Habetur etiam ex auctoritatibus eorum quod Filius sit fons Spiritus sancti. Dicit enim Athanasius in sermone Nicaeni Concilii: "Sic Spiritus est in Filio, sicut fluvius est in fonte: et Filius est in Patre sicut splendor in sole gloriae per naturam: sic per gratiam Spiritus sancti electi sunt in Patre et Filio." Et in epistola ad Serapionem dicit: "Est equidem Filius apud Patrem fons et lux; cujus fontis et lucis Spiritus sanctus est verus fluvius, et splendor aeternae gloriae." Et in eadem epistola dixit: "Non enim Spiritus sanctus operatur in Deo Christo verbo suo, scilicet naturali fonte;" et infra: "Filius et fons Spiritus sancti utrum in se continet, Patrem scilicet, et Spiritum, quorum ipse medium ordinem tenet;" et idem Athanasius in sermone de Incarnatione verbi dicit: "David psallit dicens: "Quoniam apud te est fons vitae;" quoniam equidem apud Patrem Filius est fons Spiritus sancti." Ex quo etiam habetur quod Filius sit principium Spiritus sancti sicut a se aeternaliter existentis.

*Conclusio ex omnibus, quod Spiritus sanctus procedit a Filio.*

Volunt autem quidam adversarii veritatis post tot testimonia, verae fidei confessioni resistere, dicentes, quod Spiritus sanctus quamvis probatur esse, existere, spirari, emanare et profluere a Filio, non tamen est concedendum quod a Filio procedat. Hoc enim in nulla praemissarum auctoritatum continetur, neque etiam in auctoritate sacrae Scripturae, quae Spiritum sanctum a Patre dicit procedere, patri in hoc filium non adjungens, cum dicitur Joan. 15, 26: "Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis,

qui a Patre procedit." Ostendendum est ergo quod ex praemissis de necessitate sequitur quod Spiritus sanctus procedat a Filio.

Verbum enim processionis inter omnia quae ad originem pertinent, magis invenitur esse commune, et minus modum originis determinare. Quicquid enim quocumque modo est ab aliquo, secundum consuetum modum loquendi ab ipso procedere dicimus; sive sit ab eo naturaliter, sicut Petrus dicitur a suo patre processisse seu emanasse, sicut spiramen procedit a spirante, seu effluxisse, sicut fluvius procedit a fonte; sive artificialiter, sicut domus procedit ab artifice; seu localiter tantum, sicut sponsus dicitur de thalamo procedens. Non autem quicquid est ab alio quocumque modo, potest dici spirari, vel generari, vel fluere, vel mitti. Et propter hoc, verbum processionis etiam origini divinarum Personarum est maxime accommodum: quia, sicut supra dictum est, divina per communia melius quam per specialia designantur. Ex quocumque ergo eorum quae sunt ostensa, scilicet quod Spiritus sanctus existit a filio, vel fluit, vel spiratur, vel emanat, de necessitate concluditur, quod Spiritus sanctus a Filio procedat.

*Quod idem est in divinis Personis profluere et procedere.*

Item Cyrillus in expositione Nicaeni Symboli dicit: "Coessentialis est Spiritus Patri et Filio, et profluit, hoc est procedit tamquam a fonte, ex Deo et Patre." Ex quo habetur quod idem est in divinis personis profluere et procedere. Spiritus autem sanctus profluit a Filio, ut supra ostensum est. Ergo a Filio procedit.

Hoc autem magis confirmatur ex hoc quod in epistola Nestorio directa dicit, quod "Christus est veritas, et Spiritus sanctus profluit ab eo sicut ex Deo et Patre." Si ergo idem est ipsum profluere a Patre quod procedere; etiam per hoc quod a Filio profluit, ostenditur ab eodem procedens. Item Gregorius Nazianzenus in sermone de Epiphania: "Spiritus sanctus unde est, inde procedit." Est autem a Filio, sicut probatum est. A Filio ergo procedit. Item Cyrillus dicit super Joëlem: "Spiritus sanctus est proprius ipsius Christi, et in ipso et ex ipso, quemadmodum et ab ipso intelligitur Deo et Patre." Et Maximus Monachus in sermone de candelabro et septem lucernis: "Spiritus sanctus quemadmodum per naturam existit a Deo Patre secundum essentiam, sic et a Filio secundum naturam et essentiam existit veraciter, tamquam ex Patre per Filium procedat Deus; intelligitur autem et est ex Patre sicut ab ipso procedens." Item Athanasius dicit in epistola ad Se-

rapionem: "Quemadmodum Filius se habet ad Patrem ordine naturae, ita et Spiritus sanctus se habet ad Filium." Et in eadem epistola dicit, ex persona Filii loquens: "Eundem ordinem et eandem naturam habet Spiritus ad me Filium, ut sit Deus de Deo, quem ordinem et quam naturam habeo ego ad Patrem, ut sim Deus de Deo." Item Basilius contra Eunomium: "Sicut Filius se habet ad Patrem, eodem modo Spiritus sanctus se habet ad Filium." Filius autem hoc modo se habet ad Patrem sicut ab eo procedens: dicit enim Filius, Joan. 8, 42: "Ego ex Deo processi et veni." Ergo et Spiritus sanctus procedit ex Filio. Sed et verbo ipso processionis utitur Epiphanius in lib. de Trinitate, dicens: "Secundum quem modum nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium novit quis nisi Pater; sic audeo dicere, neque Spiritum sanctum novit quis, nisi Pater et Filius, a quo accipit, et a quo procedit." Et Athanasius in Symbolo dicit: "Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens."

*Quod ad ostendendum processionem Spiritus sancti, eisdem rationibus utantur Graeci et Latini Doctores.*

Considerandum est etiam, quod eisdem rationibus utuntur Doctores Graecorum ad ostendendum processionem Spiritus sancti a Filio quibus et utuntur Latini Doctores. Arguntur enim Anselmus in lib. de processione Spiritus sancti ad ostendendam processionem Spiritus sancti ex hoc quod Pater et Filius sunt unius essentiae. Ex quo sequitur quod Pater et Filius non differant ab invicem nisi in hoc quod hic est Pater, ille Filius. Habere autem Spiritum sanctum ex se procedentem non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc Pater dicitur Pater, quia Spiritus sanctus ab eo procedit: neque filiationi repugnat quod habeat ex se spiritum procedentem. Relinquitur ergo quod habere ex se spiritum procedentem, est commune Patri et Filio. Et similiter Athanasius in Teca super Joannem sic arguitur. "Ex quo Filius omnia quae Patris sunt, essentialiter habet, habet et spiritum;" et Cyrillus dicit in lib. Thesaurorum: "Vere spiritum Christi, spiritum Patris Apostolus dicit esse unum, et non plures: quoniam omnia quae sunt Patris, veraciter et proprie transeunt secundum naturam in vero Filio." Ex hoc autem patet quod cum dicitur in Evangelio, Spiritum sanctum a Patre procedere, datur intelligi quod procedat a Filio, licet in Evangelio non addatur. Ea enim quae essentialiter dicuntur de Patre et Filio, dicta de Patre, oportet quod intelligantur de Filio, etiam si cum exclusionem dicantur;

sicuti cum dicitur Joan. 17, 3: "Ut cognoscam te solum Deum verum;" et 1 Tim. 6, 15: "Quem," scilicet Christum, "suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem." Intelliguntur enim hujusmodi et de Filio verificari ea ratione, quia Filius et Pater secundum essentiam unum sunt, secundum quod dicitur Joan. 10, 30: "Ego et Pater unum sumus." Cum igitur habere spiritum ex se procedentem, sit commune Patri et Filio, sicut ea quae dicuntur essentialiter, ut ex dictis patet; cum dicitur in Evangelio, Spiritum sanctum a Patre procedere, intelligendum est quod procedat a Filio. Eadem ratione cum in Symbolo a Patribus edito dictum est quod Spiritus sanctus procedit a Patre, intelligi oportet quod procedit et a Filio; sicut cum de Patre in eodem Symbolo dicitur quod sit omnipotens, visibilium et invisibilium factor, oportet quod et de Filio intelligatur.

*Quod Spiritus sanctus distinguitur a Filio per hoc quod est ab eo.*

Ostenditur etiam ex dictis dictorum Patrum, quod Spiritus sanctus a Filio distinguitur per hoc quod ab eo est. Dicit enim Gregorius Nyssenus: "Dogma facientes de Deitate, immutabilem esse naturam divinam confitemur; sed differentiam quae est secundum causam et causatum, non negamus;" idest, secundum principium et quod est de principio, ut supra expositum est. Et postea subdit: "item aliam differentiam intelligimus: unum nempe propinquum ex primo," scilicet Filium ex propinquo et ex primo," scilicet spiritum ex Filio et ex Patre. Patet ergo quod per primam differentiam Spiritus sanctus et Filius a Patre distinguuntur; per secundam autem distinguitur Spiritus sanctus a Filio; quia scilicet Filius a Patre procedit, non per spiritum, sed Spiritus sanctus per Filium. Sicut et Richardus de S. Victore in 5 de Trinitate, ostendit duarum processionum differentiam per hoc quod Filius procedit ab una tantum, Spiritus vero sanctus a duobus. Relinquitur ergo secundum utriusque sententiam quod Filius et Spiritus sanctus ab invicem non distinguerentur, si unus ab alio non esset.

*Quod oportet distinctionem personarum esse secundum aliquem ordinem naturae.*

Item distinctio personarum oportet quod sit secundum aliquem ordinem, qui est ordo naturae, ut Augustinus dicit. Unde et ordinem personarum distinctarum Athanasius in epistola ad